



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 91. Martinusius Cardinalis in suo cubiculo trucidatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](#)

fus obnitente in quatuor arcis turribus Sæcul. XVI.  
 collocat: Castaldus vero re comperta A. C. 1551.  
 confessim unacum Pallavicino, quatuor  
 Italis Tribunis, ac totidem Hispanis  
 militibus eo contendit. Porro Marcus  
 Antonius Ferrarius, qui Marchioni Ca-  
 staldo ab epistolis erat, jam ab aliquo  
 tempore tanta cum Cardinale utebatur  
 familiaritate, ut illum ad ejus cubicu-  
 lum quavis hora admittere Satellites  
 juberentur. Ergo Ferrarius literas ve-  
 luti Cardinalis chirographo signandas  
 deferens cubile Cardinalis ingreditur,  
 quem jamjam e lecto sublatum horarias  
 preces recitantem invenerat.

## §. XCI.

*Martinusius Cardinalis in suo cubicu-  
 lo trucidatus.*

Cum Ferrarius Cardinalem proximus  
 accederet, eique literas quasdam  
 subscribendas traderet, mox significa-  
 bat, quod Pallavicinus Marchio Vien-  
 nam profecturus Cardinalem salutatum  
 adesset, suaque offerret obsequia, si  
 forte quædam Ferdinando Regi nun-  
 tianda haberet. His dictis Cardinalis  
 traditas perlegit literas, arreptoque ca-  
 lamo, ac corpore ad mensam inclinato  
 nomen suum apponere parat, cum ec-  
 ce! Ferrarius raptum • vagina pugio-  
 nema

**Sæcul. XVI.** nem in pectus Cardinalis demittit: cum  
A.C. 1551. autem nonnisi fauces inter, & pectus  
 eidem vulnus intulisset, mox Cardinalis se saucium sentiens, e mensa assur-  
 git, exclamans: O Virgo Maria! cum-  
 que viribus valde robustus, validusque  
 esset, sicarium impacto pugno penes  
 mensam in terram projecit: Verum ad  
 strepitum accurrens Pallavicinus stricto  
 ense cubile ingreditur, ferrique acie  
 medium Cardinalis caput gravi vulne-  
 re dividit: nihilominus adhucdum in  
 pedes consistens Cardinalis, cum cete-  
 ros hujus sceleris socios accurrere cer-  
 neret, his verbis eos alloquitur: *Quid  
 est hoc, fratres?* demum invocato Dei  
 nomine, saepius repetitis hisce verbis:  
*Jesu Maria!* quatuor milites sclopis  
 pectori intentis illum tudentes in ter-  
 ram proiciunt, moxque ceteri conju-  
 rati advolant, adhucque spirantem re-  
 petitis ictibus confodiunt, ut & illi tam  
 detestandi sceleris participes essent. Hic  
 demum fuit exitus Georgii Martinusi  
**Cardinalis**, qui Anno Domini millesi-  
 mo quingentesimo quinquagesimo pri-  
 mo die decima nona Decembris ætatis  
 suæ anno circiter septuagesimo tam fu-  
 nesto fato supreimum diem clausit. (\*)

§. XCII.

(\*) Sleidan. in commentariis l. 23. p. 840.  
 hujus Viri obitum reiicit ad decimam octavam  
 Decembris diem.